



*W W*

Rubr. XVIII. Nro. 32. C.

**Gymnasial - Bibliothek**

zu Cöthen.

14

# Annotaciones

in singula Scriptorum Classicorum  
loca.

---

## Sylloge II.

Ut Examen discipulorum indicaret suorum

1797. 3. Apr. hora 9. antem.

habendum

scripsit

C. F. R. Vetterlein, Rector.

---

Cothenis

impressit J. C. Schöndorf.

12

*Lectiones*

Cicero, Livius, Horatius, Xenophon, Ernesti  
initia, Gesneri Isagoge, Geographia, Historia,  
etc.

*Orationes*

- habebunt easque suas: Aug. Behr, Dav. Rindfleisch, God. Schneider, Jonath. Rindfleisch,  
Guil. Heinrich.

(5.)

*Ad locum Horatii, Odar. l. III. c. 3.*

Si fractus illabatur orbis,  
Impavidum ferient ruinæ.

**H**unc Horatii locum omnes fere, quos equidem vidi, interpretes, ita intelligunt, ut poëtam putent dixisse: virum justum et fortem ne cœli quidem mundive ruina posse terreri. *Lambinus*, præclare alioquin de Horatio meritus, explicat sic: „denique si cœlum ruat, non terrebitur ruinis;“ — quem iisdem pæne verbis alii deinceps fecuti sunt, ut *Bondius*, „si ruat (inquit) cœlum, vir justus illius ruinam non expavescet;“ et *Baxterius*, qui hæc habet: „Orbem jam cœlum vocat, quod veteres Græci ex solido ære vel etiam lapidibus constitisse stolidè credebant;“ quæ etiam *Matthias Gesnerus*, qui Baxterianam editionem suis auxit annotationibus, vel suo silentio approbare videtur. *Bentleius* hunc locum explicatione non attigit; alioquin, credo, pro exquisita, quam habebat, Latinitatis scientia verum ejus sensum fuisse indicatur. Ex recentissimis denique eandem viam ingreditur

(2)

Jani

*Jani*, qui „orbem positum esse vult pro cælo,  
quod convexum de solido ære sibi finxisse, ait, an-  
tiquos homines, tonitruque audito, ne rueret,  
timuisse.“ Hanc explicandi rationem secuti in-  
terpretes Germanici eodem sensu locum reddi-  
dere, ut *Hallerus*, qui Nostrum sic est imitatus:

Fällt der Himmel: er kann Weise decken,  
Aber nicht erschrecken;

*et Ramlerus*, qui ita vertit:

Ja bräch' und stürzte dieser Weltbau;  
schreckenlos trafen sein Haupt die Trüm-  
mer.

Sed omnes hi boni viri mire falluntur! —  
Videtur primis post restauratas litteras Horatii  
interpretibus, quorum vestigiis fere insistunt re-  
centiores, obversata hoc loco fuisse illa Christianorum  
doctrina de ruina mundi universi, in ex-  
tremo judicio futura, quam ex sacris suis libris  
haustum volunt. At Horatius, a philosophis  
Græcis edocetus, vel potius is, de quo loquitur,  
sapiens, de mundi et cæli natura longe aliam ha-  
bere debuit sententiam. Hic certe nec extre-  
mum aliquem judicii diem expavit unquam, nec  
ignorantia antiquorum peccavit hominum, qui  
cælum credidisse dicuntur æreum; (nisi χαλκος  
potius de colore cæli s. ætheris accipendum est;) neque

neque vero timere potuit, quod fieri nequit, astrorum in terras, inque suum caput lapsum. — Etenim mirari satis non possum, interpretes illos in hoc loco illustrando talia adhibuisse verba, quæ de viro justo et sapiente lectoribus possint movere risum. Nam hisce verbis: si cælum ruat, Latini utuntur tum, cum insignem aliquam et ridiculam volunt notare inscitiam. Roganti igitur alicui: Quid si Russorum exercitus, Rhenum transgressus, invaderet Galliam? — responderi latine possit: Quid, si cælum ruat? — Rerum enim omnium interitum, qui sanus unquam timuit?

Verum, quod caput est, vocabulum *orbis* neque significat cælum vel mundum, neque potest significare. *Orbis* enim proprie notat id, quod nunc solemus dicere *circulum*, *einen Kreis*, *eine Scheibe*. Hinc dixerat Latini *orbem Terrarum*; nam terræ figura, ab horizonte inclusa, intuentibus speciem præbet *orbis*, five circuli, ut et nos dicimus: *der Erdkreis*. Apparet cælum dici non posse orbem, quum potius globosam vel concavam præbeat speciem. Hæc vocabuli *orbis* vis ex innumeris scriptorum Romanorum locis possit ostendi, si opus esset; vide tamen Schelleri Lexicon, h. v. —

Non igitur de ruina rerum, nescio qua, loquitur Flaccus, sed de orbe terrarum fracto, h. e.  
de

de *terrae motu*, re profecto terribili, qua non homines solum, sed bruta etiam animalia tremunt horrentque, quamque ut in Italia satis frequentem, poeta Romanus in ea poterat referre, quæ alias maxime timenda videntur mortalibus.

— Vocabulum *illabatur* non est de loco superiore *cadere*, uti h. l. accipiunt, sed *corruere*, *collabi* (non *herabfallen*, sed *einfallen*, *zusammenfallen*;) et ad *illabatur* non supendum est in caput viri *justi*, sed in semet ipsum, nempe orbem. Denique cum terræ motus interdum sint leviores, ut de gravissimo aliquo et periculosisimo cogitemus, tremere dicit non *solum terrestre*, angustumque aliquod commoveri spatium, sed *orbem*, ingentem terræ tractum, et ita immensum, ut ruina longe lateque grassante, omne præcludatur effugium.

## (6.)

*Ad Horatii Epist. L. I. 1. 57—64.*

Est animus tibi, sunt mores, est lingua, fidesque;  
Sed quadringentis sex septem millia desint;  
Plebs eris, at pueri ludentes, Rex eris, aiunt,  
Si recte facies. Hic murus aeneus esto,  
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.  
Roscia, dic fodes, melior lex, an puerorum est  
Nenia, quæ regnum recte facientibus offert,  
Et maribus Curiis et decantata Camillis?

Hu-

7

Hujus loci, quem juxta editionem Bentleianam dedimus, illa pars: *Hic murus aeneus esto, Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa*, ab interpretibus sic fere accipitur, tanquam Horatius in sua eam dixisset persona. Quod si verum est, omnem sententiarum connexum desidero. Tum sensus quidem loci breviter exprimi possit ita: „Ex falsa multitudinis opinione non virtus, sed pecunia honorem parit; at pueri ludentes eum, qui recte facit, regem et principem dicunt. — Et sane recte factorum conscientia hominibus muri aenei instar esse debet! — Pueri isti nonne plus sapiunt, quam qui, quasi ex lege Roscia, non nisi divitem colunt, honoreque dignum existimant?“

At, o bone deus! quam est aliena ab hoc loco illa de conscientia prædicatio? Quam insultus fuisset Horatius, si inceptam argumentandi rationem tali turbaverit parenthyrso? — Quod cum pro pulchri suo sensu videret Wielandus, epistolam nostram reddens germanice, omisit potius totum hunc locum (*Hic — culpa*) utpote mire tumidum et talem, qui vim sententiarum prorsus infringeret. Et recte id quidem. Sed insunt illa tamen textui Horatiano et queruntur, quomodo poëta a crimine tam vehementer læsæ a se pulchritudinis possit liberari? Matthias quidem Gesnerus tentavit id admodum infelicitter.

ter. „Sententiam, inquit, *Hic murus etc.* saturæ  
lege vel licentia intexuit poëta, ac statim ad næ-  
niam illam puerorum ejusque interpretationem  
redit.“ — Sed quæ illa Saturæ lex sit, qua con-  
tra bonam mentem, justamque loquendi nor-  
mam peccare liceat, equidem nescire me fateor.  
— En meam igitur poëtam vindicandi rationem!

Ne itaque longum faciam, illa *Hic murus*  
*etc.* non ad poëtae, sed ad puerorum referenda  
censeo sermonem, ita quidem, ut totum illud:

„Rex eris,  
„Si recte facies. Hic murus aeneus esto,  
„Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa!“

pro parte cantilenæ puerilis habeam, ab Horatio citata. Nam interpretes in eo falluntur, quod putent, sermonem esse de ludo quodam, cuius aliquis creatur Rex; vel pueros, cum dicunt: *si recte facies*, voluisse hoc: *si ludum ludis optime*, *sive si ludo vincis* — cum potius *recte facere* in genere dictum sit pro *boneste probeque facere*. — Inde est, quod ab illo: *si recte facies* ad *recte factorum conscientiam transeunt*. — *Ludentes vero pueri* sunt qui *canendo tempus fallunt*; nam *ludere* sæpiissime est *παιζειν*, særisque *opponitur rebus*; dicitur etiam pro ipso *canere*. Denique ex versibus 63. 64. (Nænia — Camiliis) luce clarius est, de carmine quodam antiquo  
pueris

pueris cani solito loquutum fuisse Horatium. Non igitur censendus est poëta narrasse hæc: „pueri ludere volentes hanc legem ferunt: qui ludo vincet, rex erit!“ — sed potius hanc dare voluisse historiam: „Pueri cum sui sunt arbitrii, ludibundi carmen populare canere solent, quod a priscis illis Romanis, honestis utique viris, diebus festis \*) decantabatur ad pocula, quodque a maioribus traditum contemnitur nunc quidem ab hominibus elegantioribus vulgoque et pueris relictum est; sed docet illud præclaram prorsus sententiam: *Rex eris, si recte facies; etc.*“ — Hinc ille, de quo diximus, orationis tumor in muro æneo etc; solent enim vetusta gentium carmina tumoris vitio laborare. — Hinc etiam ille verborum lufus in vocibus *rex* et *recte*, sono simili connexis, qui eodem modo vetustatem sapit, ut si qui apud Nostros luserunt vocibus *edel* et *adelich*. *Nenia* denique constat a Romanis carmina illa vulgaria, in publico decantari solita, appellata fuisse. Talia vero vel ex antiquis tradita sunt temporibus, vel oratione saltem antiquitatem redolent. — Ut vero nostra pateat magis sententia, haud alienum videtur, interpretationem loci addere germanicam:

Habe

\*) Cic. Brut. c. 19.

Habe den Muth des Helden, und Bildung! sei  
Redner, sei bieder! —  
Fehlen zum Rittercensuſ der Groschen dir weni-  
ge taufend:  
Bift du Pöbel! Zwar ſingen die Kinder: *Wer recht  
thut, iſt Koenig!*  
*Gutes Gewiſſen, wer das hat, darf nie erblaſſen;*  
*es ſchirmt ihn,*  
*Wie eine eherne Mauer!* — Nun, Freund, ſprich  
felber, iſt weifer  
Othos Geſetz vom Vorſitz des Adels, oder das  
alte  
Lied der Kinder, das Königthum beut dem Bie-  
dermann? welches  
Männer einſt ſangen bei feſtlichem Mahle, Ka-  
mille, Katone?

---

## (7.)

Ad Horatii Epistolam ad Pisones, vulgo  
Artem poëticam.

Conſilium modo poëtæ et ſumma ope-  
ris in tironum gratiam breviter exponere h. l. de-  
crevimus; in eo enim vel docti ſepe viri lapsi ſunt;  
unde et nobis ſpes venia, ſi forte erraverimus.

Conſilium igitur et propositum poëtæ in hac  
epiſtola ſcribenda fuifſe videtur hoc. Fuerunt  
in iſta, qua Horatius edebat epiſtolas, atate, poſt  
immutatum rei publicæ ſtatuum, homines innu-  
meri,

meri, liberi illi et divites, qui, cum mala opinione crederent, poësin artium omnium esse facillimam, in eo oblectationem animi et nominis sui famam quæsiverunt, ut carmina facerent, et si nunquam id didicissent, rati vel rude ad eam rem ingenium sufficere. Hanc suæ ætatis scribendi libidinem, quæ homines indocitos invaserat, multis epistolarum suarum locis commemorat Horatius, ut in nostra, v. 382:

*Qui nescit, versus tamen audet fingere,*

et in prima libri secundi, v. 108. sqq.

*Scribimus indotti doctique poëmata passim.*

Purgabant vero suam carminum scribendorum licentiam sententiis istis vulgaribus et tritis, poetam nasci, dicentes, non fieri, et ingenio præditum quosvis doctrina arteque instructos longe præstare; et hoc nomine provocasse videtur ad Democritum, ut suam artis omnisque elegantiæ excusarent negligentiam; v. 295.

*Ingenium misera quia fortunatius arte  
Credit et excludit sanos Helicone poëtas  
Democritus, etc.*

Ne.

Neglecto igitur artis difficillimæ studio, ingens carminum malorum et ridiculorum Romæ sca-  
tebat vis; quibus et ars divina in contemnum adducta et patriæ honos in discrimen vocatus est. Græcorum enim præstantiam et gloriam nunquam videbantur consecuturi Romani, quam-  
diu tam malus obtineret mos, mentibusque tam pravæ inhererent opiniones.

Horatius igitur, ut qui patriæ amantissi-  
mus esset, et de re poëtica longe aliter sentiret,  
id hac epistola egit, ut suis hominibus stultam  
illam opinionem de mira fingendi carmina faci-  
litate eriperet, ostenderetque poesin artem esse,  
quæ, ut quævis alia, probe discenda sit, et quæ longissimum et diligentissimum postulet studium,  
accuratam præceptorum s. regularum cogniti-  
onem, multam exemplarium veterum lectionem,  
multam etiam exercitationem, frequentem limæ  
ufum, emendandive sollertia; ad quam deni-  
que opus fit ampla solidaque philosophiae mora-  
lis scientia, et peritia sermonis haud vulgaris.  
Hæc igitur, ait, ars perdifficilis illa quidem est,  
res multi studii multique laboris, sed eadem præ-  
clara et ad laudem et ad utilitatem egregia, dig-  
na denique in qua ingenuus quisque summam  
ponat operam. Qui vero omnibus, quæ ad  
bona scribenda carmina faciunt, spretis et ne-  
glectis, nihilominus poëmata pangit, sane is ri-  
dicu-

diculum caput est, et ineptis suis carminibus se turpiter dabit.

Sed cum plerique, quos habebat, suæ epistolæ lectores, quorum haud pauci carminibus scribendis operam dabant, parum scirent, quæ ad artem, sive, ut nunc loquuntur, theoriam poëeos pertinent, forte ne elementis quidem disciplinæ cognitis; — ut, quod caput rei est, necessitatem studii et artis magis demonstraret, præcepta iam ipsa præcipua profert et adtingit; non ita quidem, ut, quod erat Grammaticorum, systema regularum conderet, sed ut doceret, poëtas iis carere non posse, si carminibus prodesset velint et delestante; sed debere illa accuratius dicere, nequaquam vero soli ingenio confidere. Rude enim ingenium, pulchrique sensum, nec doctrina excultum, nec arte adjutum, sœpiissime in vitia duci, eoque confisos perfectum absolutumque nunquam effecturos esse opus.

Ex his etiam intelligendum est, quantum hypothesi de epistola nostra Wielandianæ tribendum sit. Consilium Horatio fuisse putat Wielandus, V. C. ut Pisonem juvenem, nimis acri poëeos studio deditum, a repoëtica carminibus que scribendis omnino deterreat, utpote hominem nobilem, ad res gerendas, non ad otiosa  
natum

natum studia; unde tam multum esse Nostrum  
in describendis difficultatibus periculisque, e poë-  
si nasci solitis. Nobis vero videtur Horatius  
lectores, imprimis vero poëseos amantes, mo-  
nere voluisse, ut artem aut omni constantia om-  
nique cura studioque discant et exerceant, aut  
totam prorsus omittant; nam hic quæ absoluta  
et perfecta non sint, vitiosa esse, et mediocrem  
esse non licere. Sed ita suadet alterutrum, ut  
prius tamen magis probet et laudet, utque ho-  
mines ingeniosos ad artem tam præclaram stu-  
diosius colendam summopere adhortetur. Hinc  
multus est in poëseos, poëtarumque clarorum  
laudibus; hinc Græcorum poëtarum virtutes La-  
tinis æmulandas censet, hinc copiosius de divi-  
nis agit Musarum in genus humanum meritis;  
**v. 391—407.** Neque vero probabile est, Ho-  
ratium tanta cura leges et præcepta carminum  
scribendorum in eum finem dedisse, ne quis iis  
uteretur; dedit ea potius, ut aliis quoque artis  
tantopere a se cultæ tantique habitæ monstraret  
viam. — Atque ita scripsit, ut nobis quidem  
videatur incredibile, juvenem ingeniosum et ve-  
ræ laudis amantem legere posse hanc epistolam,  
quin ad miros Musarum amores, magnamque  
poëseos admirationem excitaretur. — Præterea  
non Pisonibus modo præcipit, sed lectoribus,  
certe

certe poëtis suæ ætatis quibusvis, ut videas ex  
v. 304—308.

*Munus et officium, nil scribens ipse, docebo etc.*

Nam epistolas eo consilio composuit Horatius,  
ut eas ederet; quodque iis nomina summorum  
virorum, ut Augusti, Mæcenatis, inscripsit, fe-  
cisse id magis videtur honoris causa, et fere ex  
more dedicationum, quas dicunt; quam ut eos,  
tanquam discipulos, erudiret.



AB 155562

ULB Halle  
005 301 36X

3




Sb.

8



B.I.G.



14

## Annotationes

in singula Scriptorum Classicorum  
loca.

---

### Sylloge II.

Ut Examen discipulorum indicaret suorum

1797. 3. Apr. hora 9. antem.

habendum

scripsit

C. F. R. Vetterlein, Rector.

---

Cothenis

impressit J. C. Schöndorf.

12